

Gaudeas Zittavia!
Sorabi, Lusati,
Patriae jam servientes
Et hos sectari studentes:
Hic sunt congregati.

Ut videret filios,
Societatis cura;
Ut qui luce fruarentur
Et jam humo tegerentur
Esset expertura.

En in Oybinum vocat
Natos proximosque;
Studiosos, praeceptores,
Pastores et professores
Secretariosque.

Hinc et illinc gaudia,
„Salve!“ et „salvete!“
„Pinguis es et corpulentus“
„Tu qui olim gracilentus“
„Vadis gravi pede!“

„„Non miranda quid stupes?
„„Debet sic venire;
„„Litteris qui studuerunt
„„Atque sua didicerunt,
„„Possunt se nutrire.““

Hic duo conveniunt
Examen facturi;
Dejicit vultus uterque,
Vix se vident vehementerque
Gemunt — morituri.

Sunt qui modo Lipsiâ
Domum redierunt,
Academicorum vitam
Atque mensam gratuitam
Libenter liquerunt.

Gaudeamus igitur
Et benedicamus.
Lusatiae societati
Fraternaeque caritati
Semper studeamus.

Vivant membra hodie,
Qui sunt societatis;
Vivant membra, qui fuere
Et qui ea docuere
Cum Lusatiâ natis.

Nunc estote memores
Vita defunctorum,
Quos labore liberavit
Deus et ad se vocavit,
Largitor bonorum.

Vivant nostro coetui
Operam praebentes;
Vivant fidi professores
Fideique nutritores
Et artes docentes.

Vivat et Lusatia,
Zitta et Budissa!
Civium insontium
Gaudeatis montium,
Velut manu spissâ!

Pio, frater, denique
Animo precare:
Deus ut societatem
Lusatiumque probitatem
Velit conservare! —

Stud. Menzel.